



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXIX. Ad fundamenta contrariae interpretationis respondetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

ione efficaci, vt probauimus, & dicit hominem posse illi dissentire, & supponit auxilium efficax tale esse, vt faciat se percipi, & respectu illius dicit habere locum tam dissensum, quam consensum; ergo sicut in consensu hoc non patet esse verum, nisi respectu auxilij, quod actu existit, & percipitur, ita neque in dissensu, quia etiam concludit habitudinem ad motionem existentem, & ab homine perceptibilem, seu perceptam, licet diuerso modo: nam consensus dicitur habitudine conformitatis, dissensus disformitatis. At verò respectu motionis impressæ homini sine sensu hominis, non est propriè consensus, quia illa motio non sentitur, sicut homo non consentit habitui, quando per illam operatur, sed consentit inspirationi, quam habuit, multoque minus respectu talis motionis habet locum dissensus, quia consensus licet hanc denominationem recipiat respectu inspirationis, saltè potest esse simul cum prædeterminatione, (si detur,) & aliquo modo illi confirmatur, saltem vt actio suo principio; actus verò contrarius non potest esse simul cum prædeterminatione, (si detur,) vnde nec potest haberi repugnando illi, sed repugnando inspirationi; ergo auxilium illud cui homo potest dissentire, si velit, non est prædeterminatio, sed inspiratio; ergo & gratia efficax non est prædeterminatio, sed inspiratio.

Septimò considero quòd licet Concilium loquatur de auxilio efficaci, non tamen de illo solo sed de sufficienti, id est de vocatione, & inspiratione necessaria quæ aliquibus est efficax, & in aliis inefficax. Hoc videtur admitti ab omnibus Auctoribus citatis, non enim dicunt Concilium loqui de solo auxilio efficaci, sed loqui etiam de illo. Item, quia Concilium tradit doctrinam generalem de necessitate gratiæ, cum qua, & libere consentit, & libere etiam dissentit, loquitur ergo de auxilio iam efficaci, quam sufficiente. Hinc ergo nouum argumentum sumo: nam Concilium dicens posse hominem abicere inspirationem, seu posse illi dissentire, si velit, abstractè loquitur de inspiratione tã sufficiente, quam efficaci, sed respectu sufficientis verbum potest accipi in sensu composito, vt Aluarez fateatur dicta disput. 92. num. 8. ergo etiam respectu efficaci. Probatur consequentia, quia idem verbum in eadem simplici propositione vniuersim accipiendum est, & non equiuocè respectu diuersorum ad enim non congruit, præsertim in doctrina fidei tradenda, ac definienda. Tum etiam, quia Concilium dicens liberum arbitrium aliquid agere, inspirationem illam recipiens, quippe illam abicere potest, per relationem illam refert eandem omnino entitatem diuinæ inspirationis, quatenus habet virtutem mouendi, & inducendi arbitrium in consensum & respectu illius dici voluntatem posse dissentire, etiam si interdum non dissentit; ergo semper facit sensum compositum respectu talis auxilij secundum se spectati, solum vt præueniens, ac necessarium est: ergo siue in re tale auxilium sit efficax, siue inefficax semper potestas resistendi illi est in sensu composito, quamuis non semper resistentia in actum redigatur. Et augetur vis huius rationis, quia ex mente Concilij eadem inspiratio eiusdem omnino entitatis, & virtutis, quem nostra voluntas aliquid agendo, libere acceptat, potest ex eadem libertate voluntatis frustrari effectum. Ergo secundum entitatem suam eadem inspiratio præueniens est, quæ interdum est efficax, interdum sufficiens, ergo etiam quando dicit Concilium, posse voluntatem dissentire, si velit, eandem potestatem tribuit voluntati respectu vtriusque auxilij, vt præueniens est, etiam si non semper æqualem effectum habeat; ergo si illa potestas est in sensu composito respectu auxilij efficaci. Quæ ratio in dicendis infra in questione de operantibus inæqualiter, cum aliquo auxilio præueniente euidentior fiet.

Quandò ita ex dictis argumentis, quia dicere posse dissentire vocationi, & addere, in sensu diuiso inuoluit repugnantiam, nam per hoc secundum destruitur primum. Patet, quia eo ipso, quòd sensus diuissus postulat, requiritur, vt tollatur motio vt potestas dissentendi in actum reduci valeat, at tunc illa cessat, vel opposita voluntas, non est dissensus, vt probauimus; ergo potestas illo modo in sensu diuiso, non est ad dissentiendum, sed ad non volendum, ad aliud volendum absque dissensu ad gratiam quæ iam non mouet. Vnde confirmatur, nam actu dissentire gratiæ vocanti, est cum illa actu instigante componere dissensum; ergo posse dissentire eidem gratiæ, est posse cum illa componere dissensum. Nec per hoc fit transitus à sensu diuiso ad compositum, vt Aluarez dicit, & non probat, sed explicatur obiectum, & actus illius potentie, qui cum in se, & ex propriis rationibus extremorum compositione inuoluatur, non potest attribui alicui facultati ob potestatem in sensu diuiso, sed in composito, alias non erit potentia ad talem actum.

Et confirmatur, ac declaratur, nam dissensus de quo loquitur Concilium, debet esse contrarius consensui, de quo idem Concilium loquitur; sed rursum, ac de consensu non est possibilis nisi componendo actum consentiendi, cum motione gratiæ, quia cum sit consensus supernaturalis, non potest esse nisi cum motione gratiæ, ergo etiam dissensus includit compositionem cum eadem motione gratiæ. Patet consequentia, quia contraria quatenus opposita sunt debent versari circa idem simile, & dissimile, nam respectu diuersorum non erunt opposita, & ita est in proposito, nam dissensus, & consensus dicuntur quasi relativi ad gratiæ sensum, vt supra dicebam, non sumeretur autem respectu eiusdem, nisi eandem motionem supponerent in voluntate, & cum illa vterque componeretur. Vnde si quis petenti, num velit dare, diceretur consentire petitioni, & si stante eadem petitione noluit dare, erit simplex nolitio, non tamen erit dissensus, quia non dicitur habitudinem oppositam eidem termino; ergo si detur motio gratiæ, cum qua coniungi non possit carentia actus, ad quem mouet, neque volitio illi opposita respectu talis motionis impossibilis est dissensus. Ergo in nullo sensu verum esse potest, quòd homo possit illi motioni dissentire, si velit, quia ad impossibile nulla est potentia.

CAPVT XXXIX.

Ad fundamenta contrarie interpretationis respondetur.

Tandem refutamus dictam euasione, & interpretationem de sensu diuiso, expendendo fundamenta, in quibus nititur, simulque ostendendo, dicta euasione quam sit ille sensus alienus à communi more loquendi, non tantum in vulgari vsu hominum, sed ratio de sensu etiam in Scriptura, & in ipso Concilio. Et quidem su diuiso. primum fundamentum Dialecticum dignum profecto non erat, vt in tam graui puncto, & materia adduceretur, vt quia verbum potest inter extrema propositioni positum est, sensus diuissus, & non compositus. Igitur quia Paulus dixit, *Sine fide impossibile est placere Deo*, non erit id verum in sensu composito, sed in diuiso, quod aperte falsum est, nam illa duo componere, carere fide, & placere Deo, impossibile est: in sensu autem diuiso homo carens fide potest placere Deo. Item Esther. 13. *Non est qui possit resistere voluntati tue*, quod est verum in sensu

sensu composito, non in diuiso. Similia habentur
Iob. 9. 41. & semper ferè verbum potest interponi-
Concil. Trid. tur, quia hic est communior modus enunciandi.
 Etidem Concilium Tridentinum in simili forma
 loquendi saepe videtur verbo posse in sensu compo-
Diotaleu. sito, vt in cap. 14. & 15. Can. 2. & 3. diligenter obseruat
 Diotaleu. cap. 6. Vbi etiam rectè notat in commu-
 ni sermone cum dicimus facinoram quantumuis
 rogatam posse non consentire, & hominem acriter
 tentatum posse resistere, intelligimus hæc dici in
 sensu composito, quoniam alias ridicula essent si-
 miles asseuerationes. Sicut etiam quod Christus
Luc. 10. Dominus dixit Luc. 10. *Quis Rex iuratus committere*
bellum aduersus alium Regem, non sedens prius cogitat, si
possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? certè
 in sensu composito intelligendum est. Nam po-
 testas in sensu diuiso, id est, ad occurrendum alte-
 ri, si desistat venire cum viginti millibus, & cum
 paucioribus veniat, inutilis esset, & impertinens
 ad deliberandum de bello committendo. Et confir-
 matur, nam si regula illa Dialectica forma est, erit
 vera hæc præpositio simpliciter prolata, *Voluntas*
Christi vnita verbo potuit peccare, quod facit sensum di-
 uisum, nimirum si dimittatur à Verbo, quæ tamen
 in communi sensu omnino falsa iudicatur. Ergo
 huiusmodi propositiones simpliciter, & sine alia
 declaratione prolata communiter faciunt sensum
 compositum, quando in similibus materiis profe-
 runtur, ergo incredibile est Concilium in alio sen-
 su fuisse loquutum.

Ad secundum negamus sensum diuisum suffice-
 re ad intentionem Concilij, satis enim à nobis ostē-
 sum est, potestatem ad carentiam actus, vel ad actum
 oppositum in sensu tantum diuiso non sufficere
 ad libertatem, nam talis potestas inueniri potest et-
 iam in potentis naturaliter agentibus, & in ipsa
 voluntate respectu illorum actuum, quos interdum
 necessariò, & non liberè producit, vt de amore bea-
 tifico diximus, & de actibus indeliberatis, qui motus
 primò primi dicuntur, est euident. Nam illos
 facit voluntas ex quadam necessitate contraria li-
 bertati, & nihilominus potest voluntas in sensu di-
 uiso suspendere talem actum, & ab illo dissentire:
 nam licet in sensu composito stante illa indelibera-
 tione ex parte intellectus non possit cum illa con-
 iungere suspensionem illius actus, vel habere dis-
 sensum illi contrarium, nihilominus cum illa in-
 deliberatione, seu inaduertentia ex parte intelle-
 ctus retinet voluntas intrinsecam potestatem, vt
 possit suspendere, & tollere à se illum actum, si ex
 parte intellectus consideratio antecedit, atq; adeò
 in sensu diuiso. Simile est de illo qui aliquid opera-
 tur ex ignorantia inuincibili antecedente, nam in
 eo non liberè, sed necessariò operatur, & ideo in
 eodem non peccat. Et nihilominus retinet poten-
 tiam in sensu diuiso ad cauendum tale opus, quia
 ignorantia illa non abstulit, nec diminuit volunta-
 tis potestatem in actu primo, ratione cuius potest
 illud opus vitare, si ex parte intellectus ignorantia
 tollatur, & consideratio accedat, ac subinde in sen-
 su diuiso. Hoc ergo argumentum ad hominem re-
 torquetur, supposito illo principio, quod in eo sup-
 ponitur, nimirum Concilium loqui de illa potesta-
 te, quæ in voluntate sufficit, & necessaria est ad vo-
 lum liberum, sed potestas in sensu diuiso ad hoc
 non sufficit, vt satis superque ostensum est, ergo lo-
 quitur in sensu composito.

Ad tertium respondeo, verba dissentendi & resistan-
 di in presenti materia æquipollentia esse, quia ni-
 hil aliud est resistere vocationi diuinæ, nisi illi non
 consentire, vel dissentire: sicut non est aliud resiste-
 re tentationi, quam non consentire vel dissentire
 illi; nec aliter consulimus alium, vt resistat, nisi dis-
 sensum consulendo. Idem ergo est de resistentia

vocationis Dei. Vnde quod Christus ad Hierusa-
 lem dixit Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos,*
& noluisti, Stephanus dixit Act. 7. Vsesper Spiritus
S. resistsi, sicut patres vestri, ita & vos. Et in eodem ca-
 pite, prius de Moysse loquens subdit, *Cum voluisti*
obedire Patres vestri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus
suis, in quibus verbis nolle obedire, est dissentire, re-
pellere autem est resistere, & vnum per aliud expli-
catur. Deniq; satis à nobis declaratum est, quomo-
do in ipso verbo dissentendi includatur resistentia
quædam, ac subinde resistentia, quia dissensus dicitur
habitudinem contrariam cui dissentitur, eundem-
que sensum compositum inuoluit.

Et præterea ex eodem Concilio potest multis ar-
 gumentis ostendi hanc fuisse illius mentem. Primò
 quia non est verisimile ex industria vitasse verbum
 resistendi, sed potius voluisse non solum in actu sig-
 nato & consulo, sed etiam in actu exercito, & specifi-
 fico explicare modum resistendi, qui est per dissen-
 sum. Secundò, quia verbum *abijcere*, satis pertinet
 voluit resistentiam, sicut verbum *renuendi*, quod
 habetur Proverb. 21. *Vocaui & reuulsu & facile pos-*
sunt inuaniiri similia æquivalentia. Tertio Conci-
lium, vt diximus, generatim loquitur de vocatio-
ne, tam sufficienti, quam efficaci; sed dissentire
vocationi sufficienti est, illi resistere; ergo posse dis-
sentire efficaci, est posse illi resistere. Quarto Cal-
uinus ipse confessus est, multis saculis traditum
esse in Ecclesia, & creditum, Gratiam ita mouere
voluntatem, vt nostra postea sit electio, inquit, aut obtem-
perare, aut refragari; & in eo hæreticus fuit, quod
quam agnouit esse antiquam Ecclesie fidem, ausus
est negare. At Concilium voluit antiquam fidem
retinere, ac definire, & Caluino resistere; ergo vo-
luit docere posse voluntatem refragari motioni
gratiæ, at refragari idem est quod resistere. Adde
vltimò Patres Concilij Senonensis, cuius do-
ctrinam tacite approbauit Concilium Tridenti-
num, expresse ipsos esse verbo resistendi, vt infra
videbimus, vbi doctrinam hic datam amplius
confirmabimus.

Solum hic adnotabo contradictionem, quam in
 sententia illius Auditoris intuenio; sentit enim hanc
 propositionem liberum arbitrium à Deo motum
 & excitatum potest resistere, si velit, in omni sensu
 falsam esse, iuxta suam sententiam, quia non potest
 facere sensum diuisum, quia verbum resistendi, com-
 positionem inuoluit. Quod non aliunde colligi po-
 test, nisi quia resistentia in re, & actu non fit nisi
 facta compositione cum motione gratiæ, quia non
 existente contrario, vel aduersario, non est resisten-
 tia. Igitur quia resistentia actualis respectu motio-
 nis prædeterminantis est impossibilis, inferre poten-
 tatem ad resistendum esse impossibile, & con-
 sequenter illam propositionem, *Homo potest resiste-*
re efficaci motioni, in omni sensu esse falsam, imò non
esse capacem sensus diuisi, & ideo falsam esse. De-
inde etiam fatetur actualiter dissentire motioni
efficaci esse impossibile, quia idem est quod actuali-
ter componere cum illa actu dissentendi. Et
nihilominus contendit propositionem illam, li-
berum arbitrium à gratia motum potest illi dissentire,
admittere potest sensum diuisum, & in eo esse ve-
ram. Quod quidem solum dixit, quia non potuit
repugnare Concilio Tridentino: non est tamen
consequenter loquutus; quia non est minus dere
impossibili potestas dissentendi motioni, quam
potestas resistendi, nec dissentendi verbum minus
involuit illam compositionem, quam verbum resis-
stendi, vt ostensum est. Imò ipse fatetur æquè falsam
esse has duas propositiones de inesse, homo resistit
motioni efficaci, & dissentit eidem motioni, vel ho-
mo abiicit illam; ergo etiam hæ propositiones de
possibili, homo potest resistere motioni, potest illi
dissen-

diffentire, potest illam abicere, sunt æque falsæ, & in omni sensu possunt admitti, vel si duæ posteriores sunt veræ, vt reuera sunt, ex doctrina Concilij, etiam prima est vera, & propositiones de in esse non sunt impossibiles.

Vltimum argumentum, quo nos redargunt, quia eadem difficultas habet locum in nostra sententia quam nos per sensum compositum, & diuinitatem dissoluimus, tres habet partes, quibus sigillatim respondendum est. Prima est de concursu simultaneo, quæ non est ad rem. Tum quia Concilium expressè loquitur de motione præuiam, quæ tempore, vel natura antecedit liberam determinationem voluntatis: tum etiam, quia est longè diuersa ratio nam auxilium simultaneum inuoluit liberum influxum voluntatis, sunt enim simul natura, imò in diuinitate eadè actio, & ideo nihil mirum est, quòd illo posito voluntas, & libere operetur simpliciter, & necessariò ex suppositione, quia positionis illius inuoluit liberum vsum, & ita supposito illa non est antecedens, sed comitans. Et consequenter necessitas non est absoluta, nec repugnans libertati, quia est consequens ad vsum eius.

In quo est euidens differentia inter concursum simultaneum, & motionem præuiam, quæ ita breuiter potest declarari, quia sensus compositus inter simultaneum concursum ad consensum cum sensu includit formalem compositionem inter consensum, & dissensum, & ideo qui dixerit, consentiens potest diffentire, statim intelligatur in sensu diuinitatis, quia alias diceret impossibilia, & quia nec consensus dicit habitudinem coniunctionis cum dissensu, nec contrario sed potius dicunt habitudinem repugnantiam inter se, & vt quæ dicit habitudinem coniunctionis cum eadem gratia, vel tentatione. At verò sensus compositus inter vocationem, vel motionem præuiam, & dissensum, non dicit compositionem inter consensum, & dissensum, sed inter principium consensus, & dissensus, ad quod principium tam consensus, quam dissensus dicunt habitudinem coniunctionis, & ideo ille sensus compositus non solum non includit formalem repugnantiam, sed potius est necessarius ad veritatem propositionis, in qua simpliciter dicitur arbitrium vocationi, inspirationi, consilio, petitioni, vel motioni simplici posse consentire, vel diffentire, si velit. Immerito ergo nos arguunt quòd eadem distinctione sensus compositi, & diuini, quam in illis impugnamus ad nostram defensionem vtamur. Respondemus enim esse eandem verbis, non sensu, vel quod perinde est, nos non impugnare distinctionem secundum se, & absolute spectatam, sed abusum vel malam applicationem eius sine vilo delectu. Nam ad motionem præuiam, ex qua sequitur necessitas antecedens, male applicatur: ad motionem autem concomitantem, ex qua solum sequitur necessitas consequens, optimè accommodatur. In præsentia autem pacto maxime reprobamus vsum illius distinctionis ad explicationem Concilij cuius doctrina per malam applicationem illius distinctionis planè eueritur, cum Concilium apertè in sensu composito loquatur: quod nobis non obstat, quia vt dixi, quando dicit, potest illi diffentire, vel abicere illam non refert auxilium simultaneum, sed præuiam motionem, vt in litera manifestum est.

Secunda pars erat de prædeterminatione moraliter, de qua possumus in primis respondere, illam obiectionem nihil referre ad explicationem Concilij, quia illud non sequitur de motione prædeterminante siue physice, siue moraliter, sed simpliciter de vocatione, qua homo conuerti potest, & ei resistere. Quia verò doctrina Concilij habere potest locum, etiam in vocatione moraliter prædeterminante.

Er. Suarez de Gratia Pars II.

re, & vt res explicetur, dicimus vterius, prædeterminationem moralem, prout in superioribus, & lib. 3. de auxiliis, declarata est, non esse prædeterminationem simpliciter, ideoque absolute non repugnare cum illa coniungi dissensum, ac proinde etiam in sensu composito v. rum esse, posse hominem illam abicere, & illi diffentire, si velit. Satis enim efficax ad prædeterminandum moraliter fuit vocatio Pauli, & tamen Anselmus exponens Verba orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua* de illa sic ait, *In Paulo videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licet sit præuius, tamen voluntas erat libera, & ei resisteret, si vellet, quia illa vocatio secundum se, & absolute spectata, non inferebat necessitatem etiam in sensu composito, ad quod fatendum etiam Concilium Tridentinum cogit, quia indifferenter, & vniuersaliter de vocatione diuina loquitur. Vnde fit ex tali auxilio moraliter tantum prædeterminante, non sequi infallibiliter consensum, vtique per se, & simpliciter, sed tantum secundum quid, id est, moraliter. Eo tamen modo, quo illa prædeterminatio est antecedenter moraliter efficax, minuit profectò liberatè, sicut concupiscentia antecedens minuit illam, & ideo licet sic vocatus possit simpliciter diffentire, moraliter autem non potest. Et ita nulla est repugnantia in doctrina, sed magna consecutio, & tota doctrina Concilio est consentanea.*

Anselmus.

Tertia pars erat de vocatione congrua, quæ ex dictis in superioribus expedita est. Distinguenda est. Pars tertia n. est vocatio illa vel per se, & secundum entitatem de vocatione absolutam, vel prout inuoluit habitudinem congruitatis. Priori modo spectata, non habet per se, ac necessariò, quòd sit efficax. Vnde illi homo potest resistere, & diffentire, si velit, idque velle potest, simpliciter loquendo, etiam in sensu composito, quia absolute non repugnat dissensum coniungi actum, cum tota illa vocatione, totaq; eius entitate & virtute secundum se spectata, nec ex vi illius est infallibile quòd sequatur consensus. Et ita omnia quæ docet Concilium, in illa locum habent in eodem sensu composito quem tradidimus, neque propter vocationem congruam, seu efficacem nos explicamus Concilium in sensu diuinitatis, etiam respectu illius, neque ad hoc vimur illo modo illa distinctione sensus compositi, & diuini: vt verò considerando vocationem congruam, vt congruam, & sub habitudine, quam sub ea ratione inuoluit, & sub hac formalitate talis vocatio est gratia efficax, & illi resisti non potest, & simpliciter homo non potest illi diffentire, quia iam inuoluit sensum compositum. In quo sensu etiam est impossibile hominem cum illa vocatione non consentire, sine præiudicio tamen libertatis, quia illa suppositio sub illa formalitate non est suppositio antecedens simpliciter sed consequens, quia supponit vsum libertatis futurum cum auxilio simultaneo. Et licet vocatio congrua, etiam vt congrua præcedat influxum liberi arbitrij, vt in re ipsa datur, non tamen præcedit illum vt futurum, imò supponit illum in præscientia præsentem, & ex hac parte est suppositio concomitans, ex qua solum sequitur necessitas consequens quæ libertatem quam supponit, non aufert. Concilium autem Tridentinum non est loquutum de vocatione hac sub illa formalitate congruitatis, sed simpliciter de vocatione, & inspiratione, quam homo liberè recipit, & ideo de illa, & de omni vocatione verum est, in sensu composito posse hominem illi diffentire, si velit.

**

Nn

CAPVT